

06

A

1004



1 2
PRÆCOGNITORUM THE-
OLOGICORUM

DISPUTATIO II.

DE ADMINI-
CULIS STUDII THE-
OLOGICI,

Quam

Sub
PRÆSIDIO

*Reverendi admodum, Clarissimi &
Excellentissimi Viri*

DN:

BALTHASARIS MEIS-

NERI, S. S. Theol. D. & P. P.

*Ad disputationem placidam, in minori
Auditorio habendam*

Proponit

M. JOHANNES Stral/ Saga-
nensis Silesius.

Habebitur die 30. Martij, horis pomeridianis.

Witteberga, Typis Johannis Gormanni,
Anno M. DC. XXV.

DE ADAMI
GUEIS STUDI THE
OLOGICI



4004 A 90

M. Johannes Gual. Sa-

adminiculam, quo mediante studiosus Theologiae finem suum
facilius potest adsequi. Alterum est Artium Philosophica-
rum, alterum v. linguarum quarundam cognitio, illud
Φιλσοφία hoc Φιλολογία dicitur.

Cum n. Deus T. O. M. hominem ad imaginem & similitu-
dinem sui creasset, eumq; sermonis ac rationis divinis mune-
ribus exornasset: factum est ut cum Adamus πρώτοπλαστος, in-
terdictu divino inobediens, quandam cognitionis divinita-
tem & excellentiorem gradum, quam natura humana capere
posset, appeteret: infinitis ignorantiae tenebris, Diabolo im-
pellente, Sermonem ac Rationem inumbravit & obfuscavit.
Quamobrem Deus miseratus tam tenebrosam hominis miseri-
am, jacturam tanti boni proposita exercitatione resarcire insti-
tuit, Sermonis, per linguarum cognitionem, & Rationis, per
διάκρισιν Φιλσοφικήν Adami nepotibus concessam & inspira-
tam, ut recuperata lingua & mente, naturae & morum, omni-
umq; rerum doctrinae his explicari possent. Et sanè nihil ferè aliud
profitetur pectorale illud in sacerdotis pectore, non solum auro
& gemmis, sed duabus etiam illustribus notis Vrim & Thumim
distinctum & ornatum. Vrim nempe significat splendorem,
mentis, lucemq; ad cogitandum & perspiciendum: Thumim
v. ordinis accuratorem & perfectionem ad integrè & incorru-
ptè judicandum. Hinc vetus illud promanavit τευλλούμενου
Artibus & linguis statq; caditq; fides.

III.

Linguas quod spectat Primum Vernacula est Excolenda.
Deinde quadam non vernacula, illa propter conciones, & v.
propter V. & N. T.

Vernaculam linguam quod spectat, ea ita est excolenda,
ut studiosus Theologiae stilum acquirat. 1. Purum & elegantem,
ideoq; ad exempla Optimorum Auctorum, qui & Prudentissime
& Elegantissime locuti sunt stilus erit dirigendus, ut fuere Viri
incomparabiles D. Lutherus, Mathesius & alij, ut ita ipsa lecti-
one & consideratione Praestantium Virorum, quos imitandos
nobis proponimus, iudicium & mentes nostras de maximis re-
bus

Adminicula
studiosi Theologiae
sunt
1. Φιλολογία.

bus simul informemus. 2. Proprium & significantem, ita ut idiomalinguæ vernaculæ redoleat. 3. Plenum & humilem, non verborum ampullis, strophisq; remotioribus luxuriantem, sicut forsitan ille est qui ex Amadiso vel alijs Poetis colligitur. Sed ὡς ἐν βραχίτηι λαλεῖν stilum debet Theologus sibi acquirere Biblicum, qualem omnium optimè observavit B. Lutherus.

IV.

Præter Vernaculam linguam ad huc alias linguas debet addiscere futurus Theologus. Quarum quedam absolutè necessaria accurato Theologo perhibentur ut sunt Latina, Græca & Hebræa: quedam v. ob majorem perfectionem, ut sunt Syriaca, Chaldaica, Arabica &c.

Quum non tantùm nobis res sit cum Germanis, nec omnia scripta germanico seu vernaculo exarata sint idiomate, sed etiam ad perfectam Theologiæ cognitionem opus habeamus, aliarum gentium & Nationum linguis, meritò requiritur à futuro Theologo ut linguarum non vernacularum etiam rationem habeat, & quidem 1. Latina, sine quâ pro ratione horum temporum, nemo nomen Viri Docti vel boni Theologi habere potest. Hæc n. necessaria est 1. propter modum tradendi artes. 2. propter scripta antiquorum Patrum & Historicorum Ecclesiasticorum. 3. propter collationem cum adversarijs. 4. propter agenda Ecclesiastica. 5. propter communem omnium Doctorum sententiam. II. Græca, utpote quâ sine Textus Originalis in N. T. intelligi nequit, nec versio 70. interpretum, nec scripta Patrum linguâ istâ utentium ut sunt: Basilus, Nazianzenus, Justinus, Clemens, Epiphanius, Chrysostomus &c. III. Hebræa, quæ ita dicitur ex eo, quod in confusione linguarum Babylonica in familia Heber conservata sit, sicut etiam Judaica 2. Reg. 18. v. 28. Esa 36. v. 11 & Cananæa Esa. 19. v. 18. dicitur. Hæc a. addiscenda est 1. ob intelligentiam V. T. 2. ob intelligentiam quorundam textuum N. T. in eo n. multi occurrunt Hebraismi i. e. termini Hebraici. Unde etiam dicitur: Novum T. in multis Hebraizat. 3. propter Thalmudeum Judæorum opus. 4. propter Rabinorum Judaicorum scripta, in quibus nonnulla latent uti-

*Lingua Latina
necessaria*

L. Græca.

L. Hebræa.

lia ad intelligendam scripturam, & Judæorum refutationem. s. propter faciliorem Judæorum conversionem, ne dicam quod lingua hæc sit sanctissima, antiquissima, purissima, gravissima, æterna & magno semper ab omnibus omni tempore in precio habita. Si a. quis ad majorem perfectionem adipirat, is hæc tribus linguis Theologo accurato per quam necessarijs, adungere potest linguam. 1. Chaldaicam propter Danielelem & Esdras, propter Paraphrases Chaldaicas, propter scripta Rabino- rum, & tandem propter multas radices in scripturâ occurrentes. 2. Syriacam, tum propter versionem N. T. tum propter voca- bula Syriaca subinde occurrentia. 3. Arabicam, propter Alco- ranum Turcicum, & propter expeditiorem cum Turcis conver- sationem. Quod si etiam quidam emitti deberent ad gentes & peregrinas nationes convertendas, uti ad Indos, Persas, Mosco- vitas & alios, similes, ij maturò discere deberent linguam illius populi, ad quem cum tempore essent ablegandi.

L. Chaldaica.

L. Syriaca.

L. Arabica.

V.

Non minus, quam Linguarum, etiam Philosophia stu- diam prærequiritur tanquam necessarium adminiculum.

Licet enim inveniuntur quidam ἀφιλόσοφοι, qui ex Scho- lis Christianorum φιλοσοφίαν planè explosam cupiunt, utpote quod sit secundum Apostolum ad Col. 2. pietatis deprædatrix & stultitia à Deo rejecta Rom. 1. imò meritum Christi, ut loquun- tur, aboleat, peccatiq; magnitudinem obscuret, & deniq; ab Apostolis & Patribus S. reiiciatur, ut à Terzulliano, qui Philoso- phos vocat Hæreticorum Patriarchas, in veritate exprimen- dâ Mimos, V. T. corruptores: ab Hieronymo, qui eosdem sæ- pissimè exagitat: ab Augustino, qui Philosophis crebrò into- lerabilis est & eos superbos & rixos pronuntiat, & quod viam ad felicitatem nec noverint, nec rectè docuerint, & quod opi- nionibus potius ducantur quam vera scientia, veraq; sapientiæ inimici fuerint: quando tamè argumenta eorum ab emunctioris nasi hominibus examinantur, corruunt perfacilimè.

VI.

Est igitur studium Philosophicum futuro Theol g^o ne- cessarium & in genere & in specie.

Inge-

In genere conducit Philosophia Theologo. 1. ad ingenij
acuitionem. Cum n. hominis pars nobilior adeo post lapsum
sit corrupta, ut intellectus multis ignorantia tenebris sit obsu-
scatus, voluntas a multis vitijs scateat, Deus artes monstravit,
ut & intellectui & voluntati succurreretur. 2. ad terminorum
multorum in scripturâ occurrentium, in Philosophiâ a. usitato-
rum, explicationem, ut & vocabulorum rebus Theologicis at-
tributorum intellectu. 3. ad quæstionum mixtarum intel-
ligentiam. 4. ad secundariam conclusionum quarundam con-
firmationem. 5. ad expeditam adversariorum ἐλεγχον & con-
futationem. 6. ad accuratam scripturæ interpretationem & am-
plificationem. 7. ad methodicam rerum divinarum tractatio-
nem. 8. ad Dei cognitionem ex libro naturæ petendam. Sunt
tres viæ juxta Dionysium, quibus ad cognitionem Dei perve-
nire possumus. 1. Est negationis, quando omnes imperfectio-
nes de Deo removemus vel negamus. 2. Eminentia, quando o-
mnes perfectiones rerum creaturarum Deo tribuimus. 3. Causa-
litas, quando ex creaturis ad ipsam creatoris naturam perve-
nimus investigandam. Et hoc est cur Paulus dicat Rom. 1. quod
gêtes per visibilia potuissent cognoscere invisibilia. Hinc Justinus
dixit: Ἐξ ἐτάζειν περὶ τοῦ θεοῦ τῆς φιλοσοφίας ἐργόν ἐστι. 9. deniq;
Philosophia etiam conducit ad aliqualem Dei creatoris, cujus vir-
tus & bonitas è creaturis apparet, dilectionem & timorem.

Tres viæ ad cognitionem
Dei.

1. negationis.
2. Eminentia.
3. Causalitatis.

VII.

Sit autem studium hoc Philosophicum in genere 1. So-
brium. 2. Parcum. 3. Prudens.

Sobrium quidem sit hoc studium i. e. non ex usu fiat ab u-
sus id quod accidit. 1. Si Philosophiæ concedatur Dominium
& judicium de rebus divinis s. mysterijs, de contradictionibus
aut quæstionibus Theologicis tam puris quam mixtis. Ita n.
rectè dixit Chrysostomus, Res divinas ex Philosophiâ intellige-
re, esse candens ferrum non forcipe, sed digitis contrectare. Et
Philo rectè facit, dum Philosophiam Agar, Theologiam v. Sa-
ræ comparat. 2. Si Axiomata Philosophica opponantur claræ
literæ verbi divini, id quod ἀντιλέγοντες nostri Calviniani faci-
unt, quando ex axioma argumentantes, nullum infinitum est
Capax infiniti, κοινωσίαν ιδιωμάτων contra expressum Pauli ad
Coloss.

Coloss. 2. v. 9. Effatum pernegant absq; omni distinctionis sale.
3. Si summa mysteria rationibus Philosophicis firmiter probari
posse statuatur, præsertim quando scripturæ testimonia rationi-
bus Philosophicis postponuntur. Ita n. rectè dixit D. Aposto-
lus 1. Cor. 1. Deum elegisse stulta mundi, ut confunderet sapi-
entiam sapientum unde Epiphanius contra Arrianos, θεός, in-
quit, τῷ ἀπολογίῳ τῆς δυνάμεως ἐμώραινε τὴν σοφίαν τὴν
συλλογίζεσθαι δυναμένην i. e. Deus modo simplici & non Diale-
ctico dementavit sapientiam, quæ ratiocinandi habebat peri-
tiam. 4. Si in ipsam Cœlestium mysteriorum rationem scrupu-
losè inquiratur, & nisi modus explicetur, res ipsa statim ne-
getur. 5. Si Theologia cum Philosophiâ misceatur, ut ex duo-
bus integris fiat unum corruptum chaos exemplo Scholasti-
corum, quorum Philosophiam aliquomodo expurgavit com-
munis totius Germaniæ Præceptor P. M. 6. Si termini, quos
Theologia modo alio usurpat, inflectantur ad sensum in Philo-
sophiâ usitatum. 7. Si ipsa mentis illuminatio, pietas, & rectus
Dei cultus ex Philosophiâ, tanquam principio efficiente depen-
dere statuatur, ut ejus beneficio salvati fuerint quidam Philo-
sophi Ethnici. II. Studium Philosophiæ sit Parcum, ne nimis diu
Philosophiæ inhæreatur, sed maturè studium Theologicum
inchoetur. Philosophandum est quidem, sed paucis, nam o-
mninò, nocet ait Ennius. III. Sit Prudens ita ut videlicet 1. o-
mnia dirigantur ad Scopum primarium & ea studiosius tracten-
tur, quæ in Theologiâ usum habent insignem, ἀλλότρια n. &
ἑτερογένεια jure possunt omitti. 2. Ut rectus teneatur ordo in studio
Philosophico. Rectissima n. ad veram & solidam eruditionem
comparandam via est, non temerè per varias artes & Autores,
sine ordine & ratione certâ vagari: sed ordine certo per circu-
lum doctrinarum incedere, & artes vitæ necessarias discere, &
quasi per gradus ab inferioribus artibus ad superiores & cogna-
tas traduci. Et hoc intellexit Xenophon quando ait: Οὐδὲν οὐ-
τως οὐτε εὐχρηστον οὐτε καλὸν ἀνθρώποις ἐστὶ ὡς ἡ τάξις. Et
inde sapienti consilio artes distinctæ sunt, ut quarum rerum co-
gnitio Ecclesiæ & Reip. imprimis necessaria sit, intelligere, artes
singulas, velut classes suo loco distributas, ordine & tempore
convenienti rectius & facilius percipere possimus. 3. Ut magis
Aristote.

sido

Aristotelicæ, quam Rameæ Philosophiæ opera navetur. Hunc
 n. ob perfectam sapientiæ cognitionem reliquos superasse, lon-
 goq; intervallo post se reliquisse, testatur cum ipsa *αὐτῆς* PA-
 CIUS. 4. *Ut* Autores maximè illustres & perspicui comparentur,
 ad quos semper liceat recurrere. Cum n. scriptorum turba &
 varietas librorum penè sit infinita, utiq; prodest certos quosdam
 & paucos eosq; optimos Autores eligere quos sæpè multumq; le-
 gere, diligenter & attentè relegere, & adhibito observationis
 ac imitationis studio tantisper evolvere oportet, donec & sen-
 tentias eorum omnes s. doctrinam de rebus, quas suscepit expli-
 candas studiosus familiariter sibi notam reddiderit. Verè n. (ut
 D. Chytræi utar verbis) experimur, quod multò ampliores ad re-
 ctè de rebus vitæ necessarijs sentiendi ac judicandi facultatem,
 & ad rectè dicendum & scribendum, utilitates, ex uno aliquo
 Autore bono, ter aut quater relecto percipere, quam ex tota re-
 liqua Bibliothecâ s. infinitis libris, quos obiter & cursim perlu-
 stramus, possimus. 5. *Ut* præcipua maximè in Theologiâ fru-
 ctuosa annotentur, & necessaria præcepta ad formandum de re-
 bus Theologicis iudicium, omissis inanibus cavillationibus, ar-
 gutijs difficilioribus & erroribus sæpè gravissimis observentur &
 colligantur. 6. Deniq; ut frequenti lectionum auscultatione,
 privatâ meditatione, locorum collectione, & crebrâ disputatio-
 ne aliquis Philosophiæ habitus comparetur. Verissimum n. est
 Plutarchi dictum, *ἡ παιδεία καὶ ἀρετὴ μία λαβὴ τὰ ὅλα τῶν νεῶν*
ἐστίν. Unica ansa s. manus, quâ eruditio & virtus vera apprehen-
 di & percipi potest, sunt aures juvenum puræ & attentæ.

VIII.

*In specie studioso Theologiæ necessariae sunt disciplinae
 tam instrumentales ut sunt Logica, Rhetorica & Gramma-
 tica, quam Reales.*

Usus Specialis

In specie excolendas esse disciplinas futuro Theologo in-
 strumentales, nemo nisi cui fortè fungus pro cerebro est, inficias
 ibit. De Grammatica n. nullum est certamen, cum in propatulo
 & in aprico satis sit, quod hâc sine reliquis, disciplinas addiscere
 nemo valeat. Rhetorica certè perquam utilis & necessaria est, ut-
 pote ex cujus præceptis addisci potest eloquentiæ in concioni-
 bus habendis perquam fructuosus modus, unâ cum Troporum

Grammatica.

Rhetorica.

Dialecticæ.

& figurarum ut sunt Synecdoche, Metaphora, Enallage, Ellipsis, Pleonasmus &c. explicationibus, quarum in sacris literis & Patrum scriptis intelligendis rectè usus, est longè maximus. Quid dicam de Dialectica, etiamsi enim ceteræ artes & professiones, munus suum sine Dialectica possent obire: Attamen Ecclesia Dei nullo modo Dial. carere potest. Ut n. doctrina cœlestis, rectè, distinctè, justo ordine & perspicuè doceri & explicari, erroribusq; ac corruptelis dextrè & clarè refutatis defendi & retineri possit: assiduis opus est definitionibus divisionibus, & argumentis. Igitur Logica monstrat quid res sit definiendo, partes apponit divisionibus, ordinem causarum monstrat, quibus cognitis, mens facilius & lubentius acquiescit præceptis. Efficie hominem 1. διδασκλικόν idoneum ad docendum, quod Apostolus requirit in Episcopo 1. Tim. 3. & Tit. 1. & μεθοδικόν, quod etiam 2. Tim. 1. requiritur à Doctoribus Ecclesiæ, ἵνα ὑποτύπωσιν ἔχωσιν ὑγιαίνόντων λόγων. 2. ὀρθότατον ut possit de proposito rectè judicare & decidere. 3. ἐλεγχτικόν ut possit schismata & hæreses dextrè convincere, solidè refutare, evidenter ἀντιλέγοντας arguere.

IX.

Metaphysicæ.

Reales discipline sunt vel θεωρητικαὶ vel πρακτικαὶ Ad illas pertinent, Metaphysica, Physica & Mathematica.

In disciplinis Theoricis excoli debet 1. Metaphysica, ob primorum principiorum & communissimorum terminorum explicationem. Entis fit mentio Exod. 3. v. 14. Boni Gen. 1. Veri passim in scripturâ. Sic melius cognitâ hâc disciplinâ examinare possumus glaucomata Photinianorum quæ obducunt imperitioribus, differentium de principio, persona, supposito &c. & fortius cum Calvinianis congregari quimus disputantibus, de signo & signato &c. quando Metaphysicam didicimus. Imò in illâ occurrunt divisiones generalissimæ, πνευματολογία, naturalis θεολογία, quæ omnia scire tenetur accuratus Theologus. II. Physica & quidem 1. ad multorum in scriptura textuum de rebus naturalibus loquentium accuratam intelligentiam. Mentio n. fit mundi, de quo agit in Physicis κοσμοποιία, Cæli, de quo οὐρανολογία, stellarum, de quibus ἀστρολογία, ventorum, turbinis, procellarum, &c. de quibus μετεωρολογία, elementorum, de quibus σοιχερολογία, lapidum pretiosorum & metallorum reliquorum,

Physicæ.

quorum, de quibus *μετεωρολογία*, variarum avium & animalium tam terrestrium quam aquatilium, de quibus *ζωογραφία* plantarum, stirpium, de quibus *βοτανολογία*. 2. ad pleniorē Dei Creatoris ex libro Naturæ notitiā. Unde etiam Philosophus Ethnicus ex ordine causarum naturalium eo pervenit, ut concluderet unum esse & aeternum primum motorem rerum omnium. Sic n. inquit lib. 8. Phys. *Φανερόν ἐκ τούτων ὅτι ἀνάγκη εἶναι τι ἐν, καὶ αἰετοῦν τὸ πρῶτον κινουόν.* 3. ad propriam hominis agnitionem, de quā agit *ἀνθρωπολογία* & *ψυχολογία*. Unde sapienti consilio illud olim in valvis templi fixum legitur, *γνῶθι σεαυτὸν.* 4. ad multarum quaestionum Theologicarum cum Physicis cognationem habentium faciliorem resolutionem plurimū conducit nosse *τὰ Φυσικά*. III. *Mathematica*, propter quam Sethus (testimonio Josephi lib. 1. c. 3. & c. 8) & à Berofo Abrahamus mirificè prædicatur. Ex hujus amplitudine addiscatur 1. *Arithmetica* ob varios numeros in scripturis expressos, ob temporum supputationem in Historiā sacrā & Ecclesiastica necessariam. 2. *Geometria* ob plurimos textus de cubitis, de ulnis, de ædificijs utpote turri Babylonicā Gen. 11. tabernaculi Moysis Exod. 36. Templi Hierosolymitani 1. Reg. 6. & similibus loquentes, quæ sine doctrinā de magnitudine vix aliquis intellexerit. 3. *Geographia* propter descriptiones Terræ Canaan ejusq; divisionem, & ad profectioes Patriarcharum in deserto & Apostolorum in varijs nationibus rectè intelligendas & explicandas. 4. *Optica*, ut de visibilitate & visione, visus hallucinatione, de spectris & similibus rectè differere possimus. 5. *Astronomia* s. doctrina primi & secundorū mobilium, quam alij vocant doctrinā Sphæricam & *ἡσμετικὴ* Planetarum. Multa n. in scripturis occurrunt de Trigono, Pleiadibus, Ursā, Planetis, de Ecclipsibus & similibus, quæ absq; cognitione hujus rectè nec intelligi nec explicari possunt. 6. *Musica* ob rectam vocis formationem, ob quorundam dictorum Biblicorum de sonis & concentibus agentium meliorem intelligentiam, ob Hymnos & Psalmos in Ecclesia sæpe decantandos, ob affectuum & devotionis excitationē, honestamq; recreationem.

Mathematicæ

Arithmet

Geometr.

Geograph.

Optic.

Astron.

Music.

X

Ad practicas disciplinas pertinent, Ethica, Politica, & Oeconomica, quibus adjunguntur Historica & Poetica.

Inter

Ethica.

Politica.

Oeconomica.

Inter disciplinas *πρακτικὰς* studioso Theologiae addiscenda est 1. Ethica, quae ipsa naturae lex est & Theologo summum bonum morale, principia humanarum actionum, species virtutum & similia non absq; fructu exponit. 2. Politica, quae de speciebus regnorum, de Boni Principis & subditorum agit officio, & huic annectitur Historiae cognitio profanae, & Monarchiarum descriptio. 3. Oeconomica, quae inter alia exponit officia conjugum, parent: mulierum, servorum, docerq; modum prudenter administrandi Rem familiarem.

XI.

Adminicula principalia vidimus, sequuntur minus principalia. honoraria, quae sunt cognitio Jurisprudentiae & Medicinae aliqualis.

Jurisprudentiae.

Quod aliqualis cognitio 1. Jurisprudentiae futuro Theologo etiam fructuosa sit, constat exinde, quod in Jure civili & canonico nonnulla occurrant, de S. S. Trinitate, de Concilijs, de Haereticis, de diebus festis, de causis matrimonialibus & varijs casibus similibus, quorum aliqualis cognitio infructuosa esse nequit futuro Theologo. Sic etiam 2. Medicinae cognitio conducit, ad plenariam corporis humani & partium ejusdem notitiam, ad accuratam morborum in scripturis nominatorum explicationem (ut sunt Levit. 26. Deut. 28. &c.) & allegoricam applicationem: ad meliorem Dietam & valetudinis curam &c.

Medicinae.

His igitur *θεωρήματα* nostram hanc Disputationem finimus, & Deum rogamus, ut studium Philosophicum nobis concessum, purum & incorruptum conservet, & pios *ὀρθοτόμους, διδάκτους, καὶ ἐλεγχτικῶς* concedat, qui illis, quorum *παραλογίζουσα πιθανολογία* multos seducit, os impudens obturare possint. Nos interim *τὸ ἀληθῶς φιλοσοφῆν πᾶσι καὶ πάντα πᾶσι ἀναγκαῖον* cum Platone in Enthyd. dicimus, & non duntaxat per otium, quod habet Clemens, sed seriò quoq;, quod habet Justinus, studiosis philosophandum esse, opinamur, illudq; reverè agnoscamus, *τὸ ὄντι μέγιστον κτήμα καὶ τιμώτατον θεῶν.*

Μόνω θεῶ δόξα.

06 A 1004

ULB Halle

3

004 544 633




sb

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13



UM THE.
UM
IO II.

1 2

MINI.
II THE.

Clarissimi &
iri

S MEIS-
& P. P.

n, in minori

stral/ Saga-

pomeridianis.

Gormanni,

